

APVD INCLYTAM

HESIODI

ASCRAEI POETAE VE  
TVSTISSIMI, OPERA  
ET DIES.

NICOLAO VALLA  
INTERPRETE.

Cum marginarijs adnotamentis.

GERMANIAE BASILEAM.

2  
PIO · II · PONT ·  
MAX. NICOLAVS VALLA.

S Iuacat Aenea rerum dignissime præsul:  
Grataq; sunt animo carmina nostra tuo:  
Perlege quæ quondam dulci modulatus auena  
In Latios ausus uertere Græca modos.  
Ascræi inspiciens ἡμέρας ηγή ἔργα poetæ  
Græcia quo quondam floruit Hesiodo,  
Hæc fuerant fateor plectro meliore canenda:  
Hic opus ingenij quippe senilis erat.  
At quia non nulos tam magna superbia uates  
Eleuat: ut nulla Græca in honore putent,  
Sum tamen hoc ausus bis septem & quatuor annis:  
Dum mea labuntur lustra trahente dea,  
Sumpsimus & tenueis Græcorum è fontibus haustus:  
Mixtaq; cum Græca lingua latina fuit.  
Quicquid id est ad te uatum clarissime uates  
Mittimus, es Clario non minor ipse deo.  
Suscipe & Hesiódum placido complectere uultu.  
Hic quoq; iudicio stetq; cadataq; tuo.

τέλος

649b

ME 03000 4631

# HESIODI ASCRAEI

POETAE OPERA ET DIES. GEOR-  
GICON LIBER, NICOLAO  
VALLA INTERPRETE.



Ierides Musæ quarum uiget inclyta cantu Pierides  
Fama ducū & uestri nomē imortale parētis musæ a  
Dicte cur hoīm pars hæc sine nomine uitā Pierio an,  
Ducat & illius cur fama æterna per altum tro ubi ge,  
Euolet; hæc Iouis est magni diuina uoluntas: nitæ di  
Ille etenim altitonans summi regnator olympi cuntur.  
Excitat imbelleis animos: & fortia corda  
Debilitat: duce quo fortuna inimica superbos  
Deprimit: atq; humileis clarum super æthera tollit.  
Tum mala mens hominis meliorem inclinat ad usum  
Et capiunt molles crudelia pectora cultus.  
Exaudi qui cuncta polo specularis ab alto:  
Cui nihil ignotum est, sanctissima dirige iura  
Iustitiae. liceatq; mihi fraterna monere  
Pectora: & ignotos uiuendi ostendere mores.  
Sunt geminæ in terris quibus altercantur in unum  
Mortales causæ: uaria quoq; mente trahuntur.  
Vna quidem studium laudabile sedula curat:  
Altera crudeli rerum depascitur haustu,

Fraterna,  
id est, Per-  
sæ fratrīs.  
Exercitia  
hominū.

Bella cupit, pugnæq; exercet iniqua tumultus,  
 Inuisum atq; atrox pestis genus, hanc tamen ipsi  
 Mortales fugiunt, tandemq; uolentibus hanc dñs  
 Exoptant, huius nequeunt cohibere furores.  
 Illam autem prius obscuræ genuere tenebræ.

Pater Sa.i.  
Iuppiter.

Sed fato meliore, pater Saturnius illam,  
 Et generi humano, & terræ radicibus imis  
 Imposuit, segnes artus & inertia corda  
 Excitat. alter enim segnis, cui uita manebat,  
 Alterius spectans cumulos, mora nulla, bouesq;  
 Iungit, & impresso terram diuertit aratro.  
 Siue domum curat, siue inserit, alter ad artes  
 Vicinum uicinus agit. laudabilis hæc est  
 Pugnandi ratio, fugienda sed altera, sub qua  
 Inuidet aut figulus figulo uel egenus egeno,  
 Siue faber fabro, dulcisq; poeta poetæ.

Hæc mea dicta precor toto cape pectore PER SE.

Nec te crebra foro speculantem iurgia uulgi,  
 Auocet à studijs, pugnandi inimica uoluntas.  
 Nemo forum sequitur, quem non fouet annua messis  
 Et bene clausa domi Cereris gratissima dona.  
 Hæc quærenda prius. dehinc si uacat i pete uulgus  
 Et fora, in alterius rebus certamina pone.  
 At non illud ages iterum germane quod olim  
 Ausus es infelix, litem hanc data iura resoluent.

Forum iu/  
diciale.

Scis

Scis quondam inter nos patria est partita facultas.  
 At tu nil iusta multum plus parte uereris  
 Tecum efferre rapax.corruptus munere iudex  
 Ille tuo est, sub quo tota hæc sententia pendet:  
 Ignarus, non nouit enim q̄d dulcius, aut q̄d  
 Sit melius toto medium, seu uiuere malua  
 Ut ilius, quantum uili seu uiuere porro.  
 Hos ueterum uictus occultauere superni,  
 Inq̄ polo retinent cælestes, tempore quorum  
 Sat fuit una dies tenui exercenda labore,  
 Vna quiescenti tibi dehinc alimenta parabat  
 Annua, tunc poteras temonis robora fumo  
 Exploranda dare, & nulli iuga curua premebant  
 Terga boum, nullum muli sensere laborem:  
 Hos uoluit faciles uiuendi abscondere mores  
 Ira Louis, quom se deceptum fraude Promethi.  
 Sensit, & illius causa mortalibus auxit  
 Curarum moles, surreptumq̄ abdidit ignem.  
 Reddidit hunc iterum terris, curuāq̄ latentem  
 Surripuit ferula cauto puer ille tonanti  
 Iapetionides, iacto qui fulmine gaudet.  
 Lusit fraude sua, subitam tamen arsit in iram:  
 Hæc puer effatus nubis collector aquosæ,  
 Iapetionide cuius prudentia cunctos  
 Consilio excellit, magnum spreuisse tonantem

q̄d. i. q̄to.  
 Dimidiū  
 meli⁹ toto.  
 Malua  
 herba.

Temo est  
 currus cō,  
 nexiuia  
 hasta.

Prome/  
 theus ignē  
 Louis fura/  
 tus est.

Iapetus pa/  
 ter Prome/  
 thei. Flac.  
 primo car.  
 Audax Ia/  
 peti gen⁹.

## 6 HESIODI ASCRAEI OPERA

Arte tua gaudescet dato mortalibus igne  
 Heu nociture tibi generi nociture futuro.  
 Tale mali genus excutiam quo pectore toto  
 Exultent homines, cupidi sua damna ministrent.  
 Subrisit fatus diuum pater atque hominum rex  
 Vulcanum aspiciens, atque illi talia mandat.  
 Vade celer speciem e terra, mixtoque liquore  
 Confice mortalem cui uocem & robora iunge.

Pandora Sitque ea uirginea & caelestis imago puellae  
 Quam sibi quisque uelit, dea quam doctissima Pallas  
 Instruat: & uarias percurrere pectine telas:  
 Adiicit capiti facilem Venus aurea formam,  
 Curet ut assidua stimulata cupidine corpus,  
 Fallacemque addat mentem & fallacia uerba  
 Interpres superum uictor Cyllenius Argi.  
 Dixerat: imperio Iouis annuit æqua uoluntas  
 Cælicolum, ex templo singis Vulcane puellam  
 Virginis ora deæ similem, quam glauca Minerua  
 Cinxit, & ex omni fulgentem parte poliuit.  
 Huic etiam Charites: etiam celeberrima Pitho  
 Aurea candenti posuere monilia collo,  
 Effusæque comas ori de flore coronam  
 Vernali tribuere deæ. tamen Attica Pallas  
 Illam præcipuo formæ decorauit honore.  
 Et superum interpres uictor Cyllenius Argi

Fallacem

Cylleni<sup>9</sup>,  
 id est, Mer-  
 curius.

Charites,  
 id est, græ,  
 Pitho, dea  
 oceani &  
 Tethyos  
 filia.

Fallacem attribuit mentem & fallacia uerba:  
 Sic pater altitonans diuino iusserat ore.  
 Quandoquidem dederat sua munera quisq; deorum  
 Mercurius merito Pandoram nomine dixit,  
 Exitiale malum mortalibus & fera pestis.  
 Postq; autem tantos confecit Iuppiter astus  
 Mercurium ad magnum iubet ire Epimethea: dono  
 Cui ferat hanc, qui nil ueritus præcepta Promethi  
 Scilicet à magno caperet ne inuitus olympos?  
 Cepit, & accepto nouit sua damna Epimetheus.  
 Nam prius humano generi secura manebant  
 Tempora: nulla mali species aut cura laboris  
 Morborumq; genus: tristem qui funeris atri  
 Corripiuere uiam, quibus omnis frangitur ætas  
 Viuere dulce fuit quondam: sed tegmen ab urna  
 Dum Pandora leuat totum exiliere per orbem  
 Curarum infestæ effigies, spes sola remansit  
 Intus: & è labris ima sub parte resedit.  
 Obstat impositum: nam tegmen abire uolenti,  
 Sic qui fulmen agit nubis collector aquosæ  
 Iusserat: innumeræq; etiam mortale uagantur  
 Per genus infandæ species, quibus æquor & omnis  
 Terra infecta tumet: morbi noctesq; diesq;  
 Sponte sua sine uoce ruunt, namq; ab Ioue summo  
 Ablata est illis quæcunq; potentia fandi.

Pandora,  
 id est, oīm  
 donum

Epime,  
 theus fra/  
 ter Promete/  
 thei, id est,  
 post rem  
 uidens, si/  
 cut Promete/  
 theus pro/  
 uidens.  
 Ne inui/  
 tus, credo  
 legendum  
 interroga/  
 tie.

Sic qui ful/  
 men, id est  
 Iuppiter.

Sic

Sic impune parens offenditur ille deorum.

Si uacat o frater, si non audire recusas

Ordine plura canam, genus immortale creatum

Ac mortale simul credendum est. aurea primum

Sæcula dij superi totum sparsere per orbem,

Tempore quo cæli imperium Saturnus habebat:

Tunc homines diuum uiuebant more: neq; illos

Anxia curarum moles, operumq; labores

Lassabant, aberat tristi cum mente senectus.

Semper & in ualido regnabant corpore uires,

Nulla mali labes, conuiuia læta placebant.

Mors similis somno fuit, atq; uberrima tellus

Omnia liberius nullo cogente ferebat,

In commune bonum. nec quisq; inuidit habenti.

Quàm felix ætas: erat omnibus una uoluntas:

Et taciti lætos soluebant pectora in usus.

Aurea postq; hominum paulatim defuit ætas,

His pater altitonans meritos adiunxit honores,

Sub terris habitare dedit. qui numina facti,

Et genus humanum sancte quoq; iura tuentur.

Iustitia tenebris circumfusiq; peragrat.

Terrarum fines & opes mortalibus augent,

Proxima successit terris argentea proles

Auro deterior sensuq; & moribus impar.

Tunc sibi quisq; suæ fecere sub ubera matris,

Aurea  
sæcula.

Argentea  
sæcula.

Otia

Otia mortales, paulatim adoleuit in annos:  
 Ingenij rude principium, quo decolor ætas  
 In proprijs etiam laribus rude pectus agebat.  
 Aucta tamen postq; ad summos peruererat annos  
 Viuendi breuius spaciū fuit: anxius ardor  
 Curarum incumbens aderat, quas improba mentis  
 Gaudia fecerunt. alterna iniuria nunq;  
 Destitit, & nulla in superos reuerentia: nulos  
 Sacrorum ritus ætas argentea uidit.  
 Hanc deus extinxit meritam flammatus in iram.  
 Postq; hominum oculuit argentea sæcula tellus  
 Non tamen illorum sine nomine uita recessit.  
 Sub terriq; dei sedes coluere secundas.

Tertia post illam successit Aenea proles  
 At nihil argento similis, Dryadumq; creata  
 Sanguine dura quidem, robustaque pectora tendens  
 Tota feri misero Martis feruebat amore.  
 Nulla quies illi, nullum ius, durior ætas  
 Ipso adamante fuit uultu metuenda superbis:  
 Cui nunq; inuictum robur, forteq; lacerti  
 Defuerant humeris, tunc ærea tela, domusq;  
 Omnis in ære labor, non ferri emerserat usus.  
 Hæc autem proprio proles consumpta furore  
 Ad gelidi loca nigra Iouis sine honore recessit.  
 Et quanq; extiterit inuicto robore: ab atra

Aenea  
ætas.  
Dryades  
quercuū  
nymphæ.

b Morte

Morte tamen uicta est: solis lumenq; reliquit.

Postq; autem occulta est, atq; Aenea corruit ætas  
 Quarta fuit soboles melior, cui plurima toto  
 Iustitiae hærebant animo præcepta uerendæ  
 Diuinum genus Heroum, primuīq; uocari  
 Semidei immensos illi potuere per orbes,  
 Hos insanus amor Martis: bellicq; nephandi  
 Ardor, Agenoridæ septem prope mœnia Cadmi  
 Aedipodæ imperij causa consumpsit: & alti  
 Hos maris undisoni fluctus, quom Pergama classes  
 Argolicæ peterent, ubi pallida mortis imago  
 Desuper incubuit, dum iusto ulciscitur ense  
 Tyndaris. hos etiam toto diuisit ab orbe  
 Iuppiter, & uitæ meliorem tradidit usum.  
 Elysiosq; dedit colles habitare profundi  
 Littus ad oceani, felix & sancta propago  
 Hic ubi uernat humus: ubi dulcia poena quotannis  
 Ter gremio effundit nutrix uberrima tellus.  
 O utinam non me quinta cum stirpe creassent  
 Fata: sed ante mori, seu post licuisset oriri  
 Ferrea nunc ætas, quam curæ & mille labores  
 Nocte diēq; premunt, paulatiūq; illius instant  
 Exitio. sic dijs placitum, sed prospera tanto  
 Fata etiam uenient aliquando in turbine rerum:  
 Nec minus hæc infanda hominum delebitur ætas:

Cum

Aetas heroum  
quarta.  
Heroum  
extinctio

Cadmus  
filius Age-  
noris

Vlciscitur,  
uindicat  
Tyndaris,  
id est, He-  
lena  
Elyssj

Ferrea  
ætas qnta

Cum matura annis illorum tempora cani  
 Insipient crines, natis nec ut ante parentes:  
 Nec patribus nati similes, nec ab hospite tutus  
 Hospes erit: sanctum corruptent fœdus amici.  
 Et furet arma ciens inter discordia fratres.  
 Viuet honoris inops hominum properata senectus:  
 Nec pudor effractos senio obiurgare parentes.  
 Infelix soboles legem & præcepta deorum  
 Nescit: & inualido non hæc alimenta parenti  
 Iusta suo reddet, quid enim q̄ iniqua rapaces  
 Apparet usq; manus, urbeſq; & mœnia narrem  
 Alterna delata manu, iuratāq; fallent  
 Numinæ, iustitiæ nulli tribuentur honores.  
 Pulsa gemet Bonitas, illum uenerabitur orbis  
 Cui mala mens suadet fera crimina, tota iacebit  
 Tota quidem orbato tecum Reuerentia uultu.  
 O dea Iustitiæ soboles, en improba lædet  
 Si probus ullus erit, quem contra insurget iniqua  
 Voce furens factum affirmans, altrixq; malorum  
 Inuidia incedet fatali turbida uultu.  
 Protinus humanas sedes Astræa relinquet:  
 Diua suos pariter tendet Reuerentia cursus  
 Ad superos nitido uelatæ corpus amictu.  
 Mille recedentes illæ mortalibus ægris  
 Non cessanda tamen rerum mala semina linquent.

Metamor.  
primo.Apparet. it  
disponat

Iustitia

Astræa

Pudicitia

b 2 At

At nunc te moneam quanç sapis omnia iudex  
 His intende animum, sed quid iuuat ista monere?  
 Stultus maiorí quicunq resistere tentat  
 Vincitur, & magno poenas subit inde pudore.  
 Sic ego sum tanç uolucris quam prenderit astur:  
 Prensacq sublimes agitur philomela per auras.  
 Hæc dolet infelix unguis transfixa recurvo.  
 Quam contra horribili raptor sic intonat ore,  
 Quid misera exclamas? te multo fortior astur  
 Te premit, huc adsis, quo te meus egerit ardor.  
 Et quanç bene suaue canas, mihi cœna futura es  
 Si iubet: aut dimissa iterum remeabis in auras.  
 Sic fatus, tacuit pennatus & impiger astur:  
 Tu modo iustitiam cole, nulla iniuria PER SE,  
 Tecum habitet: fatale gerit secum illa, nec illam  
 Vllus amat nisi mens cui uilis, & improba surgit:  
 Vir bonus hanc inferre timet. quod si intulit acti  
 Poenitet: & magno contrastat corda dolore  
 Est uia iustitiae melior qua uincitur omnis  
 Omnis ad extremum ueniens iniurius ardor:  
 Quid dicam? q nunç aliquid dementia noscit  
 Ni modo passa prius: sic qui male iura ministrat  
 Peierat, & tandem dementi panditur error.  
 Eripe iustitiam: corruptus munere iudex  
 Ius uiolat: dolet hæc, & nulli uisa per orbem

Astur aus  
rapax

Fatale, id  
est, suppli-  
cium

Peierat, id  
est, periu-  
rium com-  
mittit

Tristis

Tristis it, & lachrymans pœnam mortalibus orat  
 Qui uiolant iura : & recti sacra fœdera rumpunt.  
 Verum ubi iustitiae sancti seruantur honores  
 Iudicioq; pares & ciuis & aduena pendent :  
 Vrbs uiget: augetur soboles: pax læta uagatur  
 Pax iuuenum nutrix, nunq; his fatalia bella  
 Præparat altitonans, nullis in rebus egestas  
 Imminet, in quenq; nulla est offensio: dulci  
 Quos iuuat interdum genio alleuiare labores  
 Terra quibus large fundit sua semina: & altæ  
 Montibus innatæ mittunt sua munera quercus  
 Glandiferæ in summo: media tamen arbore mussant  
 Vndiq; apum ingentes acies, uestemq; ministrant  
 Lanigeræ pecudes, per se magis omnia florent.  
 Non his externas merces uehit ardua puppis.  
 Omnia dat tellus: quid enim q; iuncta marito  
 Et patribus similes emittit fœmina partus.  
 Non datur hoc quibus illa placet uiolentia iuris.  
 Hos ad supplicium uocat alti cura tonantis.  
 Sæpe subit pœnas plebs tota miserrima tantum  
 Vnius ob noxam, pestis furit atra per urbem:  
 Et male suada fames, paulatim deficit omne  
 Vulgus, & hic uacuos ostendunt tecta penates.  
 Fœmina nulla parit. Sic sœuit Iuppiter, erga  
 Quos malefacta iuuant, qui si modo forte cruentum

Iustitiae bona

Mussant susurrant in cauato, robore

Erga, sup. illos

b 3 Militiae

## HESIODI ASCRÆI OPERA

Militiae exercent studium mora nulla, sinistro  
 Marte cadunt: uel si potius iuuat ire per altum:  
 Fluctibus in medijs summergitur obruta puppis.  
 Vos igitur qui iura datis, conuertite mentem  
 Ad tales hominum poenas, diuina potestas  
 Mortales circumuolitans uidet improba: quorum  
 Iudicia emergunt multorum in damna deumqz.  
 Ignorant monitus genus hi mortale pererrant:  
 Innumeris tenebris circumfusi qz tuentur.  
 Iustitiae sacra iura domant genus omne malorum.

Astræa

Illa quidem uirgo est supero loue nata parente  
 Nomine clara suo, cœtûqz uerenda deorum:  
 Quam si quis uiulet lachrymans sua fata parentis  
 It Louis ante pedes: & lamentabile fundens  
 Humanos queritur mores, ac debita poscit  
 Supplicia in populos: tu iudex causa malorum  
 Qui uiolas sacra iura deæ, iam dirige mentem:  
 Ius cole, in alterius te nulla pecunia uertat  
 Damna nocet sibi qui cuiqz nocet, & male suadet  
 Ille sibi, in quenqz si quis male iura ministrat.  
 Cuncta uidet pater omnipotēs, & quod mihi tecū est  
 O iudex modo si lubeat speculatur ab alto  
 Nil latet hunc, aut hoc quales tribuantur honores  
 Iustitiae in populo, quam non ego pectore toto  
 Nec mea progenies coleret, postqz orbe sub isto

Nota.

Spreta

Spreta iacet bonitas & ius iniuria uincit:  
 Inuitio Ioue ni fierent, hæc accipe frater:  
 Hæc animo meditare: iniustum pone furorem:  
 Ius quoq; frater ama, sine quo genus omne ferarum  
 Credimus alterno certatim corpore pasci.  
 At nos instituit uitæ melioris origo.  
 Iura dedit pater omnipotens, ea pectore toto  
 Si quis habet, decus æternum pia præmia reddet.  
 Iuppiter affigit si quis pro teste uocatus  
 Peierat: ac merito pensatur culpa nocentis  
 Suppicio: offendens ius. ille offenditur unà:  
 Ex quo obscura quidem nulli quoq; cognita surget  
 Posteritas: iusto de sanguine nata propago:  
 Clara caput tollet patrio seruata decore.  
 Hæc quoq; quæ referam stultissime concipe frater:  
 Quàm facile innumeras uitiorum amplectimur artes:  
 Haud procul illa habitant, breuis est uia qua sit eundū,  
 Est uia uirtutis contraria, sudor anhelus  
 Hanc sequitur: quæ se scopulosis ardua diuīs  
 In longum prorumpit iter, riget aspera primo  
 Ingressu: leuis est postq; alta cacumina tanges.  
 Optimus hic sese qui nouit cuncta magistro  
 Prospiciens rerum fines meliora sequutus:  
 Dignum laude uirum parentem recta monenti  
 Credimus: ille tamen sibi qui non consulit, aut qui

Via uir/  
tutisParentē i.  
obedientē

Alterius

Alterius præcepta fugit, uir inutilis extat.

Ergo age frater ades generoso è sanguine PER SE

Neu fuge fratnos monitus, operare laborem:

Alma Ceres ornata caput sua dona ministret.

*Segnis.* Sicut tibi plena domus, segnem crudelis egestas  
 Opprimit, hunc homines odio superiç sequuntur  
 Torpenti similem fuso: cui spicula surgunt  
 Horrida distensumq; fauis consumit edendo  
 Semen apum, piger ipse sedet: uitatq; laborem.  
 Tu modo curam operi quantum potes adiice frater.  
 Horrea sic rumpunt messes: sic copia rerum,  
 Sic pecus augetur, sic tu mortalibus & dijs  
 Gratus eris. segnes animos & inertia corda  
 Oderunt, operi laus est imponere curam.  
 Turpe sed hinc prohibere manus, incumbe labori:  
 Forsitan ad studium torpentia pectora uertes:  
 Dum partas ostendis opes, uirtutis adeptus  
 Nomen & æternum laudis decus utere quæso  
 Arte, para uictum, uiolare aliena nephandum est.  
 Fac superis æquandus eas, incumbe labori:  
 Nec pudeat, pudor hic multos in honestus egentes  
 Secum habet, auget opes fiducia: qua melior res  
 A superis non it: proh rerum insana cupido  
 Proh animis infusa lues, iam nulla pudoris  
 Cura, iacet passim longe post terga relictus:

*Fiducia  
laus*

*Relict<sup>o</sup>. f.  
pudor*

Tū

Tu coleris, duce te paulatim corruit ille  
 Dijs inuisus homo, cui mens intenta rapinis  
 Iuuigilat: neq; enim semper felicia durant:  
 Nec minus omnipotens pœnis affligit eisdem  
 Qui seruum offendit, uel qui sanctissima frangit  
 Fœdera amicitiae, seu qui cum coniuge fratris  
 Non pauet infandos coitus fraternus adulter.  
 Vel qui in pupillos audet uim ferre nephandam:  
 Vel qui in longæua confectum ætate parentem  
 Horribili uoce insurgit, uixq; abstinet illi  
 Verbera: non impune tamen stat pœna nocenti.  
 Post obitum, depone igitur tam falsa superbæ  
 Mentis consilia, & melioribus utere quælo.  
 Thure pio uenerare deos, ijs tempore in omni  
 Et munde & pure liba cum clara nitescit  
 Sole dies: aut cum nox circumfusa tenebris  
 Abscondit terras casto torrenda sub igne  
 Hostia mactetur: hymnos cane, thura ministra.  
 Ut tibi dij faueant, immensaq; copia rerum  
 Hinc tibi nascatur, multis ut egentibus ipse  
 Subuenias: non ut uiuas germane rapina.  
 Conuiuas inter si uis discumbere amicus,  
 Non hostis, ueniat primum uicinia. nam si  
 Aduersi quicq; acciderit de more repente  
 Primum illa occurret, quæ si sine uestibus esset

Criminū  
generaSacrificiū  
suadet

c Nuda

Nuda etiam ueniet, quod nec tibi sanguine iunctus  
 Non aget: iste sibi uestes atq; omnia ponet.  
 Improba damnosa est uicinia, sed proba si sit  
 Ut ilis, haec igitur cupienda est pectore toto  
 Tanq; laudis opus. neq; enim lamenta refundes:  
 Amisisse bouem, proba si uicinia tecum est:  
 Acceptum metire & eodem pondere redde  
 Vicino tibi, ut hic iterum succurrat egenti.  
 Res male parta mala est, damnosaq; semper ab illa  
 Ergo caue, nec te uincant in amore sodales.  
 Illum adeas qui te: fac mutua munera reddas:  
 Sponte datum capias, scelus est letale rapina:  
 Quicunq; & si magnum aliquid largitur amico.  
 Latatur: quicunq; iacit de fronte pudorem,  
 Et rapit alterius quanq; infima, turbat amici  
 Viscerāq; & mentem cui uis illata rapinæ.  
 Adde parum paruo, paruo superadde pusillum,  
 Fiet & hoc magnum, infelix pelletur egestas:  
 Si modo rem cumules, hominem non lædit habere.  
 Cuncta domi: nocet esse foris. q; dulce bonumq;  
 Præsens accipere: atq; absente carere molestum est:  
 Tunc bene potandum cum plena effundit ab alto  
 Vina cadus: tunc parcus eris cum parte Lyeus  
 Defluit è media, sed cum declinat ad imum  
 Spumantes iterum cyathos & pocula sume.

Quicquid

Plena ui/  
 na, hoc est,  
 cadus ple/  
 nus.

Quicquid polliceare homini seruetur amico:  
 Si quicq; cum fratre tibi est, testem adiace rebus  
 Subridens, nocuit non credere, credere semper.  
 Ne ue tuam alliciat meretrix caue fœmina mentem.  
 Rem totam uorat illa nimis dum blanda uidetur.  
 Heu q; damnosum est mulieri fidere cuiq;.  
 Rem patris acceptam melius fouet unicus hæres.  
 Auget & hanc, at tu plures in morte relinque  
 Ex te ortos: nam plura pater Saturnius illis  
 Attribuet, sed te si cæcus tangit habendi  
 Ardor adhuc, fragiliq; placet tibi gloria rerum  
 Hæc age quæ moneam: & uarios operare labores.

Nec semp  
nec nunq;  
credendū.

HESIODI ASCRAEI LIBER SECVN  
DVS DE AGRICVLTVRA.



Vm cælo emergūt sublimi ab atlātide notæ  
 Pleiades: truncanda Ceres, moriētibus illis  
 Mitte i aratra boues, latitare ea sydera dicūt  
 Viginti totideīq; dies, annōq; uoluto

Agricolan  
di tempus  
& ratio

Apparent iterum, maturam incidere messem:  
 Rursus & incipiunt dentata falce coloni.  
 Hanc legem agricolæ atq; habitantes littora seruant.  
 Aut qui pingue solum, uallosacq; tecta tenerent  
 Nudus ara, nudusq; sere, & mete corpore nudo

c 2 Si

Si tempestuos agrorum ducere cultus  
 Augeriç illos magnis successibus optas,  
 Ne ue aliena roges interdum pauper egenus.  
 Quod si ad nos supplex iterum fortasse redibis:  
 Non iterum dabimus, iuuat exercere labores  
 Improbe, quos inter mortales diua potestas  
 Sortita est ne tristis inops cum coniuge moesta  
 Aut cum natorum misera comitante caterua  
 Victum à uicino rogites, dare negliget iste  
 Bis uel ter fortasse dabit. dehinc si petis ultra  
 Proficies nihil: at tu plurima uerba refundes.  
 Orabiç iterum frustra tamen, artibus ut te  
 Iampridem admonui inuigila: atq; incumbe labori.  
 Dira fames procul hinc abeat, tua debita solue.  
 Imprimis tibi conde domum, pretioq; ministram  
 Dehinc eme, quam possis custodem adiungere bobus.  
 Pone domi quantum toto tibi sufficit anno.  
 In rebus spes est alienis irrita: nam si  
 Hic dare forte neget, tu semper pauper egebis.  
 Tempora labuntur, operum quoq; deficit usus.  
 Ad cras rem differre nocet: nunq; horrea nunq;  
 Implet iners aut qui tempus producit, habenda est  
 Cura operi, turgescit opus. mala mille molestant  
 Affliguntq; hominem cui segne & inutile corpus,  
 Cum bene se posuit rapidi uis ignea Phœbi,

Ac

Ac pater omnipotens fœcundis imbribus æther  
Desilit in terras, & languida membra resumunt  
Iampridem amissas æstiuo in tempore uires.  
Nam breue sol hominum supra caput astat ab alto  
Ac de nocte magis currus exercet agendo.  
Tunc operum multo ante memor discinde securi  
Syluam incorruptam, tunc germina desinit arbos  
Fundere, datq; suas uolitare per aera frondes.  
In tres tende pedes mortaria, contineat tres  
Pistillus cubitos, pedibus quoq; confice septem  
Temonem, qui si fuerit potentus in octo  
Hinc tibi malleolus crebros formetur in ictus:  
Palmarumq; trium rota sit, uarijsq; repone  
Ligna efficta modis, ualidamq; in montibus altis  
Quære uel effuso campi super æquore pinum  
Aestiuam, compone manum qua firmet arator  
Temoni cuneis dentaliç alliget imo  
Torqueat & fortes illa durante iuuencos.  
Binacq; præterea tectis seruentur aratra.  
Sic melius: nam si casu discinditur unum,  
Restat adhuc aliud ualidos agitare iuuencos.  
Temonem ex ulmo uiridi seu confice lauro.  
Stiua sit ex pino, dura dentalia quercu.  
Duc in aratra bouem, nono qui uiuat in anno.  
Apta ætas operi matura est: franget aratum

Bos iuuenis minitans iuuenili prælia cornu:  
 Et rixam exacuenis opera imperfecta relinquet.  
 Quære quater decies annorum ætate bubulum  
 Quadrifidus panis & ofellas cæsus in octo  
 Sit cibus huic, recto sulcabit uomere terram  
 Si maturus erit, studium intermittet arandi  
 Iunior: aspiciensq; pares ætate colonos  
 Ibit ad hos, ludosq; ciet lasciuia iuuentus.  
 Ergo non melior iuuenis, necq; semina uersæ  
 Spargere humi: quantum terræ mensura requirit.  
 Contemplare etiam quom grus è nubibus altis  
 Assiduos agitat clangores nunciat imbre  
 Ventura m̄q; hyemem, tempusq; indicit arandi.  
 Angit & illius mentem cui nulla boum spes.  
 Tunc redeant fessi plena ad præsepio tauri.  
 Tunc proprios operare boues & plaustra: sed inquis  
 Non habeo, dabit hic, facile est petere atq; negare  
 Mentiis inops alius quid enim componere currum  
 Tunc uolet, ignarus non nouit quantus in illo  
 Sit labor: & centum compagibus insita ligna  
 Quæ debent multo ante domi prouisa reponi.  
 Præterea cum tempus adest rescindere campum  
 Fortius insistas operi exercere ministros.  
 Nam uertenda duplex tibi sicca atq; humida tellus.  
 Vere nouo ueniant celeres ad aratra iuuenci

Fertilis

Fertilis ut grauida culmus procumbat arista.  
 Neu te decipiatur cum semina colligit æstas.  
 Sit noua cui studeas tellus inarata quotannis.  
 Terra recens large natis alimenta parabit.  
 Plutonem imprimit uenerare, atq; annua sacræ  
 Vota refer Cereri, quom stiuæ innixus agendo  
 Incipis exercere boues, stimulóq; fatigas  
 Sic immensa tibi surgent Cerealia dona.  
 Semina quom terræ committis ponè sequatur  
 Seruulus, atq; auibus rastro sata læta recondat.  
 Optima crede iuuat rerum prudentia cunctos,  
 Læditur aduerso qui negligit omnia fato.  
 Si sit pingue solum, grauidæ inclinantur aristæ  
 Felicesq; operum successus ab Ioue summo.  
 Hinc capies neq; sub tectis extendat arachne  
 Fila, sed immensæ replebunt horrea messes:  
 Tunc gaude & cani florentia tempora ueris  
 Lætus agas: quom te incassum crudelis egestas  
 Aspicit, & parto turget domus atq; aliena  
 Re tibi non opus est tua pluribus adiumentum:  
 Fit sterilis tellus medio uersata sub æstu:  
 Hincq; solo residens imas falcabis aristas:  
 Auersos religans culmos, tenuisq; sequetur  
 Spes uitæ, pauci te mirabuntur ab agris:  
 Parua sub exiguo referentem farra canistro.

Pone.i.  
iuxta

Difficile

Difficile interdum mutabile noscere tempus.

Mobilis & uaria est alti natura Tonantis.

Ac si tardus aras, tarde tibi solus aranti

Afferet auxilium: si largis imbribus æther

Tris noctes totidemq; dies non cessat ab alto:

Donec replerit ualidi uestigia tauri.

Tempore quo querna residens super arbore coccys

Exululat, gaudentq; hominum mortalia corda.

Vere sub aprico sit tardus forsitan eques:

Qui tempestiuo diuerrit uomere terram :

His intende animum, nec florida tempora ueris

Te lateant, glacialis hyems tibi cognita surgat:

In qua incumbendum est: nec te ulla taberna moretur:

Aut narrata loco sub aprico fabula tardet:

Dum frigent alij, uir rem tamen impiger auget:

Surge igitur nec te paupertas opprimat illo

Tempore: dira fames tenues facit esse lacertos:

Elatosq; pedes & crura tumentia multo

Sanguine, segnis inops & spe suspensus inani.

Inclinat mentem sceleri & meditatur iniquos

Vnde paret uictus: hominem spes nutrit egentem:

Irrita cui nihil est: & tota luce uagatur,

Dum media elapsa est æstas: properate ministri.

Condite dic casulas: nam semper non erit æstas.

A Iano mensem dictum caue, nubibus ille:

Coccys  
auis lu/  
ctuosa

Dū frigēt,  
id est, tor/  
pent & pi/  
gescunt  
frigore

Letales

Letales bobus glacies & frigora ducit.  
Thracius insurgit boreas, & turbine facto  
Disturbat maria ac campos, syluaq; sonantem,  
Alticomas quercus: annosq; robora pinus  
Diruit ex alto & ualles iaculatur ad imas:  
Syluarum auditur fragor undiq;. sed fera duros  
Arrigit ipsa pilos, caudamq; in cruribus angit.  
Quin etiam quibus est uillis densissima pellis  
Perforat ille quidem sætosâq; pectora transit.  
Nec se defendunt dura sub ueste iuuenci.  
Et miseræ algescunt hyrsuto crine capellæ.  
Vincit ouis boream instantem fultoq; repellit  
Tegmine lanarum, sed non obſtitut illis:  
A ſenibus curuo facit hos incedere collo.  
Non tamen ad teneram penetrat boreale puellam  
Frigus. at illa domi cui nondum nota libido  
Matris apud charæ gremium ſedet: atq; hyemales  
Non ſentit glacies, & tota nocte quiescit.  
Atq; oleo teneros interdum perluit artus  
Tum polypo durum eſt gelidis habitare ſub undis:  
Nec uidet unde ſibi uenetur in æquore prædam,  
Alleuietq; famem, proprios tum deniq; in artus.  
Vertit atrox rabiem immensam: ſic imbribus atris  
Turbatur mare, ſic atra caligine cælum.  
Sol quoq; ad æthyopas radios & lumina fundit

d Rarus

Rarus apud Graios. fugiunt animalia curui  
 More senis. ualles imas & dente trementi  
 Concaua saxa petunt. nemorum tenebrosaque tecta.  
 Tunc quoque ne noceant hyemes tibi protegat artus  
 Mollis chlena tuos. cui tecta ex ordine recto  
 Pauca: sed aduerso ducantur plurima fila:  
 Sitque ea cruretenus: uetat hæc per corpora setas  
 Surgere. & instanti prohibet durescere uento.  
 Tegmina sint pedibus taurorum è pelle cothurni.  
 Nec nocet hos inflare pilis. ut frigora uincas.  
 Hœdorum teneras neruo bouis insue pelles:  
 Ac dorso suspende: tegant capita alta galeri  
 Ne madeant aures. borea spirante cauendum est  
 Frigoribus. tunc ros cælo diffusus ab alto  
 Educat & Cererem sacros operumque labores:  
 Ille quidem uiuentorum è fluuialibus undis  
 Tollitur in sublime: & matutinus in agros  
 Desilit. interdumque expectat tempora noctis  
 Interdum borea nubes agitante procellas  
 Vertitur in uentosam hyemem. fuge prouidus illam.  
 Acceleretur opus: pete tecta obstantia uentis:  
 Ne forte obscuro nebularum infusus amictu  
 Immadeas. largoque imbres pluat humida uestis.  
 Pascua tunc carpant queuis non pingua tauri:  
 Quippe leuis labor & longa sub nocte quiescunt:

Nutrimentum

Nutrimentum ingens, uobis ubertima mando  
 Agricolæ, faciliq; dies transire labore.  
 Hæc seruanda tibi donec nox æqua diebus:  
 Atq; iterum satio committit semina terræ.  
 At dum sexdecies sol arduus occidit undis  
 Hybernum post solstitium, sacroq; relinquens  
 Oceaní fluctus sublimi Arcturus olymbo  
 Exoritur: primumq; cupit splendescere sydus.  
 Tunc uites incide: noui neq; nuncia ueris  
 Antiquos iterans questus præcedat hyrundo.  
 Dum tamen immensos effundit Pleias æstus:  
 Prosilienq; umbrosa petit plantaria limax  
 Tellure è sicca. tunc uinea nulla ligonem  
 Sentiat: accelerentq; uncata falce ministri  
 Maturam in segetem. nec te pulcherrima tempe  
 Detineant segnem: matutiniq; sopores:  
 Eia age rumpe moras: pelle ocia segnia pelle:  
 Dum uocat alma Ceres, robustaq; collige farra:  
 Pone domi quantum toto tibi sufficit anno  
 Mane operi assurgens: operis pars tertia mane  
 Conficitur. labor haud grauis est. de mane uiator  
 Longum linquit iter. tauroq; exercet arator.  
 Præterea sua dum scolymus florentia mittit  
 Germina: & in ramis dulces resonare cicadæ  
 Sole sub ardenti incipiunt trepidantibus alis:

Templo,  
ca Thessa,  
liæ amœ,  
nissima.

Scolymus  
agrestis  
herba a Pli  
nio quoq;  
sic dicta.

d 2 Fit

Fit capra tunc mollis, tunc sunt dulcissima uina:  
 Fœminaque urenti Veneris prurigine corpus  
 Appetit insanos coitus, lassantur ab æstu  
 Membra uirum: tantumque potest uis ignea Solis:  
 Tunc licet ardores gelida reueare sub umbra  
 Fontis ad apricos latices semperque fluentis  
 Murmur aquæ: faciles quam circum leniter auræ  
 Aspirant zephyris plerunque agitantibus illas.  
 Hic hilares lætus cyathos & pocula sume

Biblina pa  
piracea,  
aut bybli  
na a byblo  
oppido  
phœnicia,  
Ter infusa  
& caro iu  
uençæ,  
mendosæ  
syllabæ, si  
cut Orio  
nis, cuius  
penulti.  
longa.

Biblina ter infusa magis quæ temperet unda.  
 Hic tibi ab uberibus caprarum caseus adstet:  
 Quæ nulos pascant foetus, hic lactea liba:  
 Hic tibi sylvestris ponatur caro iuuencæ:  
 Quæ nondum enixa est, hic mollior hœdulus adsit:  
 Et iaceas saturus patula sub tegminiis umbra.  
 Surge tamen cælo dum fulget Orionis astrum,  
 Tempus adest: Cereri sacras terat area fruges.  
 Ad uentos posita atque ingenti æquata cylindro:  
 Nec nisi libratae ducantur ad horrea messes:  
 Postque autem satis ad uitum tibi contulit æstas:  
 Continuo cui nulla domus sit quære ministrum.  
 Adde etiam ancillam quæ sit sine prole: molestum est  
 Ac graue seruitium illius quam cura remordet  
 Natorum blandire cani, paneisque ministra:  
 Peruigil ante fores sedet ille, domumque tuetur.

Dente

Dente rapax: furiqz altis latratibus instat.  
 His propere exactis fœnum, paleasqz reconde:  
 Hemionos quantum satis ac nutrire iuuencos.  
 Inde laboranti requies præbenda colono  
 Tempus: & exhaustis pariter iuga demere tauris.  
 Dum tamen in media cæli statione refulget  
 Syrius: Orionqz loco splendescit eodem:  
 Et rosea Arcturi cernit Pallantias astrum:  
 Tunc uuas tenero abscindens de corpore matrum:  
 Per bis quinqz dies tepido sub sole iacentes  
 Pande: dies etiam mollescant quinqz sub umbra  
 Dehinc torque & capiant uegetes iucunda Lyæi  
 Munera. sed sydus cum deficit Orionis  
 Pleiadesqz Hyadesqz cadunt meminisse iuuabit  
 Protinus impresso subuertere uomere terram.  
 Stat tempestiuo cuncta exercere labore.  
 Si tamen infestum iuuat ire per æquora: & alta  
 Puppe uehi, moneo ne quando ab Atlantide natas  
 Orion sequitur: totóqz excludit olympos  
 Ut uideas illas medio submergere ponto.  
 Nauigio incumbas, mare tunc tollentibus euris  
 Obscurum undosos iaculatur ad æthera fluctus.  
 Tunc igitur iaceant religatae ad littora puppes  
 Saxorum obnixæ obicibus: ne forte ruentes  
 Discutiant uenti, pateat pars ima carinæ

Hemio/  
nos, id est,  
mulos.

d ; Ne

Ne pluuiam excipiens putri marcescat ab imbre.  
 Instrumenta domi naualiāq; arma quiescant  
 Pensa:gubernaciq; exploret robora fumus.  
 Interea Cereris sacros operare labores:  
 Nec prorsus fugiendus ager, labatur in altum  
 Aequor amica ratis dum non magis unda tumescit:  
 Nec refluunt uasti sublato gurgite montes  
 Vadat onusta tamen censu redditura superbo.  
 Sic meus ille quidem genitor dum pauper egeret  
 Errabat maria alta secans, fluctuśq; profundos.  
 Ille olim Aeolidam curuatāq; littora linquens  
 Appulit huc, non spe lucri commotus auara.  
 Durum opus exercere inuisaurgebat egestas.  
 Ille uagus demum prope tempe Heliconia sedem  
 Ascræam incoluit, cæli in regione molesta,  
 Frigore nunc nimio, nunc quæ intolerabilis æstu est.  
 Tempore quośq; suo iuuat exercere labores.  
 Nauigium ante omnes, cuius si te ulla remordet  
 Cura: placetq; altos sulcare per æquora fluctus  
 Dum faciles spirant uenti & furor ille quieuit.  
 Ne te inuisa fames alieno uiuere parto  
 Cogat:& inuitus multorum debitor extes:  
 Vade nec in cymba, sed te uehat ardua puppis  
 Ingentes referant census ingentia mercis  
 Pondera. præterea quæ sint aptissima nautis

Censu.  
gaza, aut  
mercibus.

Ascræa

Tempora

Tempora narrandū est, quanq̄ mihi parua p undas

Vita fuit: uix̄ ex illa tantum Aulide cursus

Littus ad Eubœum, sub quo omnis Græcia quondam,

Aulis

Dum pelago desævit hyems conuenit in unum:

Et merito infandos fatum iuratur in hostes.

Fatum.i.  
excidium.

Inde mihi placuit non longe ad Chalcida cursus,

Huc ubi magnanimū genus Amphidamantis Achiui

Constituunt populis certamina, & inclyta quondam

Munera defuncti ponunt in honore parentis.

Hic ego me dulcis referentem præmia cantus

Auratos memini tripodas, quos sponte dicaui

Musarum ante aras, quibus antra Heliconia curæ:

Ille ubi me primum dulcem docuere poesim:

Tantum igitur mihi res naualis cognita surgit:

Dicam aliquid tamen, & uarios pandam ætheris usus:

Hæc etiam nobis aspirauere Camœnæ.

Aequora tuta legant instructo remige puppes,

Quom decies quinq̄ est series exacta dierum

Aestuum post solsticium & iam deficit æstas.

Nam necq̄ tunc classes medio nec nauita ponto

Obruitur: ni forte uelit Iouis alta potestas:

Aut deus ipsarumq; parens Neptunus aquarum,

Exitus omnis in his rerum manet exitus omnis

At lenes spirant zephyri tranquilla quiescunt

Aequora: tunc celerem uentis committe carinam.

Zephyri  
in Vere  
spirant

Vadat

Vadat onusta, tamen redditum properare memento:  
 Quam prius ipsa nouos fundant uineta liquores.  
 Autumniç imbres & hyems infausta procellis:  
 Aut notus insurgat pluua rorantibus alis:  
 Incumbatq; mari totumq; euoluat ab imo.  
 Exercent etiam studium nauale sub ipso  
 Vere nouo: quom se tam latas arbor ab alto  
 Induit in frondes, quantum uestigia cornix  
 Pandit humi depressa, silet tunc nabilis unda.  
 Ast ego nauigium graue tunc, semperq; molestum  
 Crediderim: hoc naturæ homines leuitate nephanda  
 Subtraxere: agitant diuersa pericula fluctus.  
 Et tamen ire placet, quanq; mors dura sub undis  
 Diuitiae fiunt hominum: atq; insanus habendi  
 Ardor, ad hæc animum germane intende parumper.  
 Concipe fraternalis monitus: maria alta secando  
 Fac tecum ne cuncta uehas: maiora referua.  
 Nec nimis est oneranda ratis, sit ponderis æqui  
 Quicquid in hac durum est aduerso occurrere fato  
 Fluctibus in medijs currus discinditur omnis.  
 Si grauius super instat onus: seruare memento  
 Mensuram in rebus & idonea tempora ad usus.  
 Quom prope ter decies tibi uita elabitur annos  
 Connubium maturum aderit: decimu'mq; puella  
 Exigat & quartum, sed quinto nubat: & illa

Nota  
 Coniugij  
 tempora

Virgo

Virgo sit, atq; habitet prope te, cui sedulus astes:  
 Sedulus inspicias artemq; usumq; puellæ.  
 Hæc age ludibrio, ne te uicinia cantet:  
 Coniuge nil melius casta: nil turpius illa  
 Que uenerem prurit sine fine & prostat ad omnes  
 Semper:& exitio superimminet illa uirorum.  
 Nemo etiam fratri in amore æquetur amicus:  
 At par si quis erit sit amandus tempore in omni:  
 Nulla ex te incepsum fœdus discordia soluat.  
 Mentiri scelus est, præstat compescere linguam  
 Infandam si uim tibi quisq; inferret amicus  
 Aut ore aut manibus, surge & te ulciscere, redde  
 Redde uicem duplicem, q; si illum poenitet acti  
 Ac pœnam implorans iterum te exoptat amicum  
 Suscipe, uile quidē est homines noua querere semper  
 Fœdera amicitia: multos si frater amabis  
 Non laudo, nullos etiam: medium sit in isto.  
 Si tibi corda tument, uultus non indicet iram:  
 Turpe sequi sceleratum hominem, maledicere cui  
 Infandum est: qui iam uita laudatur honesta.  
 Nunq; à te nunq; misera obiurgetur egestas.  
 Diuinum donum est diuumq; æterna uoluntas.  
 Illa quidem quæ sæpe uiri sublime molesta  
 Impedit ingeniumq; uetat super alta leuari.  
 Qui loquitur parce linguam nec in omnia soluit:

e Thesaurum

Vxor bona	Fraternus amor Fœdus tei nendum	Amico re conciliari decet	Amandi nec multi, nec nulli. Ira occulta. Maledicere turpe	Paupertatis laus	Taciturnitatis bona.
-----------	------------------------------------	---------------------------	--	------------------	----------------------

Thesaurum præ se gerit ille:ea gratia magna est  
Vt linguam moderes,pensatāq; uerba loquaris.  
Si quenq; uerbo lædes,læderis & ipse.

Conui-  
uandi  
ratio

Grata in amicorum uenias conuiuia sumptu  
Communi:dato particulam,gratissima sunt hæc.  
Aere Ioui uinum seu dīs de mane cauendum est  
Illauta libare manu:tum uota precando  
Incaſſum fundes nulli exaudita deorum.

Supersti-  
tio prisca

Solis ad aspectum nec quenq; mingere fas est.  
Nocte sub obscura recto neq; corpore nudo,  
Nox quia sacra deis media,nec credimus illud  
Posse licere uia,si declinetur ab illa.  
Esse etiam uetitum,diuus uir & omnia noscens  
Hærens parietibus sedet atq; exponit urinam  
Intus:ubi orbatæ tenuis latet angulus aulæ.  
Non coitu polluta sacros genitalia pandas  
Ante ignes.neq; cum dulci tibi coniuge præstet  
Concubium ut generes,dum mœsto à funere tristi  
Mente redis:superum sacra,sed latus ab ara.  
Credimus inuisum superis semperq; molestum:  
Qui natat assiduo labentia flumina cursu,  
Quin sit lota manus prius:& pia uota precessq;  
Fuderit:ante ipsas supplexq; orauerit undas.  
Infandum ante aras unguis incidere : cum dīs  
Sancta facis,scelus est cyathos imponere uasi

In quo

In quo uina latent, sacros operare lebetas.  
Nil tibi cum in sacris etiam hinc lauisse nefandum est.  
Perfice tecta prius q̄ cornix garrula ab alto  
Nunciet atram hyemem. ruit hæc inimica procellis:  
Fac sedeat bis sex, quibus ætas exigit annos:  
Aut totidem menses natorum cara propago  
Sede sub instabili iuuat hoc omne inq; repellit  
Segniciem: facit esse agiles & ad omnia promptos.  
Fœdum ac turpe uirum est thermis muliebris uti:  
Hoc prorsus fugiendum etiam stat talibus atrum  
Supplicium. ante aras superū obiurgare nefandū est:  
Sacra ministeria ac diuinos spernere cultus:  
Nec licet in fluvio neq; fontis mingere in unda.  
Est quoq; turpe aliud uetitum: fuge pessima famæ  
Nomina. fama malum facile in sublime leuatur.  
Est graue sufferrī nimium nimiumq; molestum.  
Difficile ut taceat. nunq; delabitur illa  
Sedula quæ uarias populi penetrauit ad aures  
Est dea fama quidem, sunt ipsi numina famæ.  
**S**It tibi præterea series seruanda dierum:  
**S**A Ioue natæ omnes, sunt à Ioue tempora nata.  
Ultima mensis erit nullo exercenda labore.  
At genio utendum est: illa omnes festa per urbes  
Ducitur: illa forum claudit, neq; iura resoluit.  
Prima dies sacra est, & quarta, & septima: prima

Dierum  
ratio

Calenda/  
rium an/  
tiquum

e 2 Natus

Natus Apollo die radiantia lumina fudit.  
 Luce de in quarta felix ducenda sit uxor.  
 Omine captato sunt omnia prospera rebus:  
 Et licet incuruam trabibus componere nauim:  
 At quintas fuge namq; illarum pallidus Orcus.  
 Tum diræ Eumenidum facies toto orbe uagantur:  
 Castigant si qua in terris periuria, falsum  
 Affirinant quæ lis alterne agitata creauit.  
 Sexta dies tristem ostendit mulieribus ortum  
 Læta uiris: multiq; etiam nascuntur in illa:  
 Quis mala mens fallax animus fallacia uerba:  
 Et qui concubia exercent arcana per artem,  
 Hac ouium foetus licitum castrare uel hœdos:  
 Et licet infixa pecudes circundare mandra.  
 Scindimus octaua foeto genitalia tauro  
 Castramusq; sues, felix est ponere plantas.  
 Nona uiros gigni uel amica sorte puellas.  
 Luce uiris decima faustos quoq; credimus ortus.  
 Venâq; post decimam felix incidere uites:  
 Et tempestiuam segeti supponere falcem:  
 Hoc curat bis sexta etiam felicior illa.  
 Arachne. i. Stamina & ex alto tenuissima torquet Arachne.  
 araneus Ingentem accumulant formicæ farris aceruum.  
 Et iuuat arguto percurrere pectine telas:  
 Tunc quoq; sylvestres licitum castrare iuuencos.

Mandra,  
spelunca,  
cibile.

Tertia

Tertia post decimam plantaribus optima surgit,  
Spargere semen humi, pallet contraria semper.

Quartāq; post decimam mulierum prospera natu  
Ac prensos domitare boues ualidośq; labori  
Hemionos, canibus faciles adiungere cultus.

Ac lenire manu pecudić; imponere mores:  
Atq; aperire cados, & dulcia fundere uina.

Sextāq; post decimam plantaribus inuida surgit  
Opportuna, uiros nasci, sed iniqua, puellas

Aut nasci, aut thalamos petere aut hærere maritis.

Septima post decimam Cereris terat hordea sacræ:

Ingentemq; licet ferro discindere syluam,

Ac uarias aptare trabes, quibus ardua tecta

Moliri: ac structam possis agitare carinam.

Nonāq; post decimam felix est cum dea surgit

Lutea: sed medium cæli quom uenit in orbem

Fit grauis: ex media ad finem letissima fulget.

Proxima lux sapientem hominem diuina creandi

Insigni uiget officio, nec luce dolendum est.

Post illam quartā sacra est, ea læta trahantur

Gaudia. quinta dies post hanc iuga curua iuuencis

Ponit & hemionos & colla exercet equorum:

Altāq; ueliuolas deducit ad æquora puppes:

Quām pauci nouere & recto nomine dicunt:

Sunt harum humano generi seruanda dierum

Hemionos,  
ius & mu/  
la dicitur

Dea. L.  
luna

38 HESIODI ASCRAEI DIES, NI. VAL. INT.

Tempora: quippe illud magnis successibus augent,  
Sunt aliæ ancipitesq; tamen sine mente, neq; ullo  
Officio excellunt:hanc alter laudat & illam:  
At paucis natura illarum cognita surgit.  
Nam nunc ipsa dies totum complectitur orbem  
More piæ matris, sœuæ modo more nouercæ,  
Nunc fulget, nunc atra latet.felixq; beatus  
Ille quidem qui dñs gratus , cui cognita sunt hæc,  
Omniaq; inspiciens rerum se exercet ad usus.

HESIODI ASCRAEI POETAE VETV-  
STISSIMI OPERVM ET DIE-  
RVM, NICOLAO VAL-  
LA INTERPRE-  
TE, FINIS.

BASILEAE APVD IOANNEM  
FROBENIVM MENSE  
FEBRVARIO.  
AN. M D XVIII.

IN INCULTA GERMANIAE BASILEA  
M D XVIII

תִּשְׁרֵבָה יְהוָה לְטוֹבָם בְּלִשְׁנָרִים גַּלְבוֹתָם

τίνεθε φρόνιμοι ὡς διὰ ὄφελος,



ἄκερωις ὡς ἀπί περισεραῖ.

IN INCLYTA GERMANIAE BASILEA.

M. D. XVIII.

Prudens simplicitas amorque recti.